



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1581 usque ad annum 1589

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118650

§. 109. Titulus XLII. De Concubinariis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67246](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67246)

Sæcul. XVI. Canon VI. *Simoniaci, & confidentiarii*
 A.C. 1584. *notorie infames censeantur, ideoque ab om-*
nibus Synodis provincialibus ac Diæcesanis,
capitulis, Monasteriis, denique ab omni
ecclesiastico conventu excludantur.

Canon VII. *Parochi singulis diebus*
dominici simoniacos & confidentiarios,
cum sortilegis, præstigiatoribus, incanta-
toribus, usurariis, veneficis excommunica-
tos denuntient.

Canon VIII. *Qui confessiones audiunt,*
simoniacos, & confidentiarios non absol-
vant, sed ad summum Pontificem remittant.

§. CIX.

Titulus XLII. De Concupinariis.

In titulo quadragesimo secundo de Con-
 cupinariis quatuor habentur Cano-
 nes, quorum primus ita declarat: *om-*
nes Sacerdotes, ac clerici beneficiati, mu-
lierum impudicarum, aut quæ ejus ætatis
erunt, cujus ratione oriri possit sinistra su-
spicio, consortio, sive intra, sive extra
domum, prorsus absterneant, qui a superiore
monitus non absterneant, tertia parte fru-
ctuum beneficiorum, quæ obtinet, ac etiam
pensionum, piis usibus arbitrio Episcopi ap-
plicanda mulctetur, qui secundo monitus per-
severaverit, fructibus omnibus, & pensio-
nibus beneficiorum privetur, atque ab eo-
rum administratione suspendatur, donec
Episcopo aliter visum fuerit. Qui post secun-
dam

dam monitionem non respuerit, fructibus, ac pensionibus, & administratione quavis ecclesiastica, necnon etiam titulis suorum beneficiorum in perpetuum priuetur, & ad alia quaecunque obtinenda, perpetuo inhabilis reddatur, & a capitulis, ac omni congregatione ecclesiastica tanquam infamis arceatur: donec ita mores suos emendaverit, ut a Superioribus venia dignus censeatur.

Sæcul. XV.
A. C. 1584.

Canon II. Clerici beneficia non habentes, hujus sceleris suspecti, & in ea post unam, atque alteram monitionem perseverantes, suspendantur ab ordine: & qui post suspensionem non cessarint, excommunicentur: si contumaces fuerint, in carcerem detrudantur.

Canon III. Qui cum semel dimissis concubinis consortium repetierint, iisdem pœnis subjaceant.

Canon IV. Nulli Sacerdoti, cujuscunque gradus, societatis, aut ordinis existat, concubinario liceat absolutionem dare, sed ad Episcopum, aut ejus pœnitentiarium eum remittat, qui pro gravitate delicti pœnitentiam injungat, vel moderatione utatur, pro ut expedire viderit.

§. CX.

Titulus XLIII. De Hospitalibus.

Quatuor Canonibus titulus quadragessimus tertius de Hospitalibus absoluitur, statuitque eorum primus, ut quicum